DISSERTATIO MEDICA
DE
RHEUMATISMO ACUTO.

QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,
NEC NON
Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,
Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ Decreto,
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JOHANNES PAUL,
BRITANNUS,
Soc. Med. Edin. Sodal.

Ad diem 12 Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,
Academiae Typographos.
M, DCC, LXXI.

316871

ONESIPHORO PAUL,

EQUITI BARONETTO,

Qui Patrui, Tutoris, Cuſtodis, Monitoris,

Et Amici munera,

Summa cum Pietate, ſemper in ſe obivit:

Nec non,

Viro egregio,

GULIELMO CULLEN, M. D.

Inſtitutionum et Uſus Medicinae,

In Alma Academia Edinburgena,

Profeſſori ingenioſiſſimo,

Praeceptori optime merito;

Propter multa beneficia ab eo in ſe collata:

Has Medicinae Studiorum Primitias,

Ea qua par eſt reverentia,

D. D. C. Q.

JOHANNES PAUL.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30385799

DISSERTATIO MEDICA

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

VARIAS morbi de quo ſcripturus ſum ſpecies, ab auctoribus commemoratas, ſub rheumatiſmi titulo tractare mecum conſtitui; cuippe quae ab iiſdem fere cauſis exortum evidenter deducant, atque eandem poſtulent medendi rationem; in eo ſolummodo diſcrepantes, quod, pro partium affectarum diverſitate, etiam diverſa nomina acceperunt Exempli gratia, ſi dolores ſcapulas, humeros, aut genua, affligebant, Rheumatiſmum Ballonius: Si muſculos dorſi vertebris inſertos, Lumbaginem Sauvageſius: Si denique genarum muſculos,

A Odon-

Odontalgiam Hoffmannus, appellarunt.

Qui morbus, licet periculo imminente plerumque fere careat, ob doloris tamen violentiam, et ſaepe etiam diuturnitatem, haud levem medici curam ſibi vindicat.

Sub communi Rheumatiſmi nomine duas diverſas ſpecies multi nullo diſcrimine tractarunt. Quarum altera brevis eſſe, altera in longinquitatem excurrere, illa febrem habere, haec ea carere, ut alias differentias omittam, plerumque ſolent. Nos eas diſcretos morbos, et tam natura, quam curatione, diſcrepare rati, febrilem et brevem, longo et non febrili omiſſo, ſolam tractaturi ſumus.

HISTORIA MORBI.

Rheumatismus acutus a totius corporis algore et horrore oritur; quibus mox calor, ſitis, inquietudo, et omnia alia

alia pyrexiae acutae ſigna, ſuccedunt. Ea, primis diebus, omni affectione locali plerumque carent; nonnunquam etiam, ab initio uſque, uni membrorum alicui, praeſertim humeris, carpis, genubuſque, haerere dolor incipit. Hic fere obtuſus et gravis eſt, et moto artu dolente, magis quam manu preſſo, ſentitur.

Huc uſque dolor graſſatur, et partes nunc has nunc illas ſubinde petens, ultra paucos dies in eodem corporis loco rarius moratur; tumorque conſpicuus in partibus laeſis cernitur.

Pyrexia, quae ex genere continuarum cenſetur, acceſſionem evidentem, ut plurimum veſpere, atque etiam per totas fere nocturnas horas, habet; quo tempore, ut partibus quietis, ita alio omni his motatis, dolores exaſperantur. Urina, morbi praeſertim initio, rubra, ſedimentum nullum oſtendit; eadem poſt aliquam morbi moram, aut ubi pyrexia remiſit, pallida

pallida quaedam et lateritia ad imum vas demittit. Eſtque ubi largi liquidique ſudores univerſo corpore, et per membrorum uſque extrema, cum manifeſto aegrorum levamine, undique dimanant. Iidem magna ex parte ſubviſcidi excernuntur.

ALVUS plerumque dura, aliquando mollis eſt.

SANGUIS pleno rivo detractus, et ſub certa coeli temperie aliquamdiu immota in patella ſervatus, cruſta inflammatoria vulgo nuncupata contegitur. Quae ſanguinis facies non ſemper ab initio conſpicitur; ſed ſanorum ſanguini haud abſimilis, donec detractio ſemel atque iterum facta eſt, haud raro obſervatur.

INCERTA rheumatiſmus diuturnitate eſt, niſi quod, poſtquam aliquamdiu permanſit,

manſit, pyrexia, doloribus adhuc manentibus, et ſaepenumero etiam creſcentibus, paulatim evaneſcit.

IDEM, licet raro ulla judicatoria humorum jactura terminetur, tamen ſudoribus largis ſaepe ſolvitur; ejuſdem per diarrhoeam, aut magnam ſubitamque ſalivae urinaeve profuſionem, aut haemorrhagiam quamlibet, ſolutio rariſſima eſt; rariſſime, ſi unquam, cum ulceribus, in diverſis corporis partibus, alternatur.

AB aliis, arthritide excepta, phlegmaſiae generibus in hoc differt, quod, niſi cum aliquo eorum conjunctus, vix unquam in ſuppurationem tranſit.

QUAMDIU in partibus externis, quae propria ejus ſedes eſt, permanet, raro eſt exitio. Interiora, niſi ſub alius morbi forma, non petere videtur.

VE-

Verum, aut inveterando, aut male curatus, aut cum aliis mixtus adfectibus, ad complures morbos longos et pertinaces, quorum in numero rheumatiſmus longus eſt, viam ſaepe ſternit. Quod ubi fit, ſcilicet, ubi acutus morbus in longum tranſit, pyrexia ita paulatim evaneſcit, ita evanida abſiſtit, doloreſque ita et magnitudine et frequentia increſcunt, ut articulum temporis, quo alter ſubnaſcatur, alter terminetur morbus, vix deprehendere queas. Ex iiſdem morbis longis, alius, in quem rheumatiſmus tranſit, paralyſis eſt, quae non ſolum rheumaticorum, ſed et aliorum, ut colicae dolorum, frequens fit effectus.

DIAGNOSIS.

Solus morbus quicum ne confundatur noſter periculum eſt, arthritis eſſe videtur.

Ii morbi, ſi vera utriuſque natura perpendatur, non adeo dijudicatu difficiles ſunt; ſed hinc fere fallacia orta eſt, quod medici, quidnam inter eos commune, quidnam utrique proprium eſſet, parum animadvertentes, utrumque vulgo pro uno confuderunt.

Eosdem morbos, in eodem homine, haud raro conjunctos eſſe conſtat, qua demum in re eos inter ſe diſcernendi difficultas ſola fere occurrit: Quam tamen, ut ſpero, ſequentia diſcrimina explicabunt.

1. Arthritis, ſi paucos ea petitos excipias, hereditaria eſt. Rheumatiſmum cauſae externae plerumque evidentes faciunt.

2. Nec minus differunt in doloris ſede, prout ab Hoffmanno his verbis diſtinguuntur: "In rheumatiſmo, muſcu-" li cum eorum membrana communi, et " ten-

" tendinibus, ubi oſſibus inſeruntur, gravi " dolore, et ſpaſmo, hinc inde in artubus " aliiſque corporis regionibus afficiunt: " In arthritide vero, ipſa ligamenta, ten- " dinoſa-nervea, quibus invicem oſſa " conjunguntur et combinantur, quate- " nus illa perioſteo cohaerent, vehemen- " tius affliguntur." Et iterum, " Variat " quoque ſaepe, inquit, ipſe dolor; nam " in rheumatiſmo magis eſt tenſivus, preſ- " ſorius, gravativus cum frigore junctus, " ſine conſpicuo tumore ac rubore: In " arthritide vero, lancinatorius, divulſo- " rius, pungitivus, et quaſi rupturam mi- " nans, cum inſigni tumore et rubore, " percipitur."

Ad quae Hoffmanni verba addere liceat: Arthriticum dolorem articulos maxime extremos, maxime pedes, magis etiam horum pollices, affectare; rheumaticum majores occupare, raroque ad manuum pedumve digitos deſcendere. Quod ſi hoc non perpetuum eſt; ſi arthritis,

tis, per cauſas vehementius excitantes, in hominibus multum debilitatis, ad articulos grandiores aliquando aſſurgit; contra, rheumatiſmus, cauſis ſupra dictis exiſtentibus, articulos etiam minimos nonnunquam occupat. Tamen hoc utrumque raro, contrarium longe frequentiſſime, fieri contendimus.

3. Arthritidis dolores, ſi quam corporis partem unam aut alteram afficiunt, rariſſime variant; rheumatiſmus huc illuc excurrit, nec ullo temporis ſpatio, locis certis, ſive inferioribus, ſive ſuperioribus, inhaeret.

4. Seminio nullo corporeo intus latente, cauſae externae ad arthritidem procreandam ſatis validae nunquam videntur; ſed a cauſis internis in habitu prius latentibus praecedentibus et comitantibus, una cum affectionibus ventriculi multifariis, ea incidit. Eae ventriculi affectiones ſunt, cibi faſtidium,

nauſea, vomitus, alvus adſtricta, et morbi nervoſi complures, quorum in locum haud raro alternatim ſuccedit; rheumatiſmus a cauſis externis, plerumque evidentibus, quale frigus eſt, exoritur; nunquam cum alio morbo quovis alternatim commutatur; neque ab ulla ventriculi praeceditur affectione.

5. Iidem morbi diverſis aetatis temporibus, rheumatiſmus raro poſt trigeſimum quintum annum, arthritis raro ante eum, incidunt.

6. Arthritis, cauſis ſimilibus una concurrentibus, viros potius quam mulieres; rheumatiſmus, e contrario, has potius quam illos, affectat.

Rheumatismum inter et dolores ſcorbuticos ac venereos, illoſque qui haemorrhagiis in diverſis corporis partibus antecedunt, diſcrimen reliquo ſymptomatum concurſu adeo illuſtratur, ut ſilentio

ſilentio praetereundum putem; ecque magis quod, ſi quid inter hos morbos et dolores rheumaticos ambigitur, id ad longos, non ad acutos, pertinet.

CAUSÆ PROOEGUMENÆ.

Hic morbus, dum cauſae validae excitantes concurrunt, temperamenta omnia et aetates, item ſexum utrumque, invadere poteſt. Sed quoſdam ſub certa aetate ac temperie, prae caeteris, petere ſolet.

Maxime omnium, occaſionibus oblatis, eos, qui aetate florent, et praecipue quibus corpus ſolidum, et ſucci plenum, huic morbo obnoxios eſſe, ideoque mulieres magis quam viros, videmus. Item habitus corporis ſanguineus et plenus in rheumatiſmum proclivis eſt. Poſtremo, nimiae humorum jacturae, veneri, vino, et crapulae dediti, poſtque alios

os morbos longos imbecilles irritabilesque, prae reliquis, rheumatiſmo periclitantur. Ballonius "plurimos vidiſſe ſe ait, qui quartana chronica laborantes, ſub finem morbi, in graves artuum, immo totius corporis, dolores, inciderunt."

Causæ occaſionales fere ſemper ex aequo cum cunctis aliis inflammationis congruunt. Quarum potentiſſimae ſunt magnae ſubitaeque coeli, e calore in frigus, ex frigore in calorem, temperiei mutationes; vel corpus, quocunque calefactum, et frigori ſubito objectum.

Quantum autem ad rheumatiſmum excitandum ſubitae coeli viciſſitudines valeant, eo diſcitur, quod nullo anni tempore ſaevit magis morbus quam verno et autumnali; quibus prae caeteris hae temperiei vigent viciſſitudines, ſive jam gelu reſolvi, ſeu poſt calorem omnia gelaſcere, incipiunt.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

Omnia inflammatoria ſymptomata, ut calor, rubor, pulſatio, et pyrexia, impetum ſanguinis juſto majorem eſſe, oſtendunt. Quo fit, ut vaſa ſanguinem ferentia, praecipue minutiſſima, in quibus is difficillime trajicitur, neceſſario diſtendantur, cordiſque et arteriarum actio, praecipue minimarum, eo ſtimulo augeatur.

Cum enim humores calore rarefiant, ſi eo tempore frigus ſubito ad vaſa adſpirat, adſpirat autem ad ſummi corporis arteriolas minimas, ut eae conſtringantur et in magis diſtendantur neceſſe eſt.

Quae conſtrictio ſpaſmodica, quamvis primo localis ſit, et a cauſis excitantibus pendeat, mox per poteſtatis nervoſae leges, plus minuſve cum toto corpore com-

communicatur, et diatheſin phlogiſticam, magis aut minus ante exiſtentem, adauget. Nam habitus qui ad rheumatiſmum et alias phlegmaſias, iiſdem temporibus et eodem ſub coelo incidentes, viam facit, argumento eſt, diatheſin phlogiſticam prius et radicitus ſubfuiſſe, affectionique locali et ſpaſmo praeiiſſe, magis quam ab ea effectam eſſe.

Dolor et inflammatio, praecipue in partibus antea memoratis, nempe in tendinoſis et membranis firmioribus magiſque compactis, quae eandem expanſionem ac aliae partes molliores non recipiunt, ſedentes, eo acutiores fiunt.

Ad cauſam ſupra memoratam illuſtrandam, in hoc loco monendum eſt, per annales medicos ſatis conſtare, rheumatiſmum in eis locis praecipue graſſari, in quibus frigoris et caloris viciſſitudines maximae, ut dictum eſt, dominantur.

Quæ

Quæ viciſſitudines ab his tribus cauſis ortum ducere, magna ex parte, videntur.

Primo, ex regionis plagaeve a circulo aequinoctiali majori aut minori latitudine.

Secundo, ex longinquitate a littore marino majore aut minore.

Postremo, a terrarum tractu, ſupra ſolitum ejuſdem latitudinis planum, magis aut minus aſſurgente.

Quibus cauſis ſpectatis, Britanniam, quam ullam fere aliam regionem, his viciſſitudinibus expoſitam magis eſſe, et frigidiorem fieri deberi manifeſtum eſt. Compertumque experientia eſt, in Britannia magis quam in alia qualibet orbis terrarum regione, quamvis ſub eodem latitudinis gradu jacente, ſaevire rheumatiſmum. Idem, prout ad lineam aequi-

aequinoctialem magis magiſque proceditur, paulatim remolleſcit, minuſque increbreſcit. Quinetiam in ipſa Britannia, intimi agri, quales Varvicenſes, Staffordienſes, ſimileſque ſunt, cum cauſis relatis minus pateant, liberiores a rheumatiſmo eſſe.

PORRO, cauſis occaſionalibus perpenſis, obſervamus, homines in minori gradu frigoris incidere in morbum, ſi frigus aut calor excepit aut praeceſſit, quam in majori quod aequabilius magiſque perpetuum fuerit. Itaque Hyeme minus quam Vere aut Autumno, durante gelu minus quam frigoris reſolutione, rheumatiſmus magis graſſatur. Unde his duabus cauſis poſitis, alterutra morbum neceſſario concitabit; ſcilicet, fluidorum per calorem rarefactio ſubita, cum vaſa frigore ante conſtricta eſſent. Aut, e contrario, ſolidorum per repentinum frigoris incurſum conſtrictio, poſtquam fluida, per coeli temperiem calidi-

orem

orem rarefacta fuerant. Quin et, data coeli temperie, per imprudentiam aut errorem in corpore adminiſtrando curandoque, eaedem frigoris et caloris vices eundem effectum caſu etiam trahent. Itaque aëris temperati fluentum abſoluti frigoris, calidum nimis cubiculum abſoluti caloris vicem, cum in aliis phlegmaſiis, tum in rheumatiſmo creandis, obeunt.

METHODUS MEDENDI.

Consilia medendi huic morbo cum aliis fere phlegmaſiis communia ſunt.

I. Sanguinis impetum diminuere.

II. Partis affectum ſpaſmodicum tollere.

III. Symptomatum violentiam ſublevare.

I. Primo conſilio humorem detrahentia, quorum praecipua ſunt ſanguinis, ſive e magna vena, ſive e parvis partis, detractio, item cathartica, curatio antiphlogiſtica, commode reſpondent.

Non modo rationes ſuperius traditae, verum etiam experientia perpetua, ſanguinis detractionem, in hujus morbi principio, remedium praeſtantiſſimum et celerrimum eſſe demonſtrat; quippe quae ſanguinis impetum imminuat, et arteriarum univerſarum tenſionem, omnibus febribus inflammatoriis dominantem, ſolvat, tollatque.

Cujus utique uſum temerarium multa et magna incommoda comitantur. Largiorque detractio multum ſaepe obfuit; et compluribus morbis longis et pertinacibus fundamentum jecit. Sanguis etenim copia nimia profuſus, certo prope effectu, rheumatiſmum longum et obſtinatum infert, et eum habitum efficit,

efficit, qui a cauſis occaſionalibus leviuſculis denuo excitatur. Quoties igitur febris inflammatoria totius corporis ſubeſt, et ſymptomata doloris, tumoris, caeterorumque, ſunt graviſſima, praeſidium feliciſſimum in ſanguine iterum iterumque miſſo, ab initio, collocatur; quippe qui contumacem febris violentiam, effectu ſaluberrimo, perpetuo fere imminuat.

In univerſum, quamdiu doloris febriſque ſaevities invaleſcit, in venaeſectionis uſu liberrimo perſtare tutiſſime poſſumus; namque, in hoc loco, nihil a ſuppuratione, ut in aliis phlegmaſiis pleriſque, timendum eſt, quo minus ſanguis detrahatur.

Quantum autem ejus detrahendum ſit, ex aegrotantis viribus, et priori ſanguinis mittendi conſuetudine, praecipue petendum eſt. Mos vulgo traditus, quo jubetur ſanguis mitti, donec cruſta in-

flamma-

flammatoria aut febris evaneſcant, fundamento prorſus fallaci nititur; quoniam utraque ad ultimum morbi tempus ſaepe permanent.

Venæsectio, ex magno vaſe, eo conſilio praecipue adhibetur, ut febris, corpori toti communis, violentia leniatur. Cum vero hac ratione febris remolleſcit, et affectio inflammatoria ſolum in certis partibus apparet, et praeſertim ubi partis tumor ruborque cernitur; in his caſibus, ſubſidium in ſanguine e parvis partis vaſis miſſo eſt; qualia cucurbitulae conciſa cute, aut haec ſine illis conciſa, ſunt. Quae ubi, ob incommodum partium ſitum, in uſum revocare nequimus, ad hirudinum uſum omnino confugiendum erit. Verum, quoties commode per partium ſitum fieri poterit, propter certiorem ſanguinis detrahendi menſuram, cucurbitulae recte anteponuntur. Quae ſanguinis detractiones, quamvis haud raro auxilium evidentiſſimum

ferunt,

ferunt, et per ſeſe ſaepiſſime in ſanationem ſatis idoneam cedunt; haud raro tamen levamen pro tempore ſolum edunt, et, in multis caſibus, dolorem ex uno articulo in alterum tantum transferunt.

Cathartica in rheumatiſmo frequenter in uſum advocata ſunt, et a Sydenhamo praecipue laudantur.

Alvum laxantia, quae ſtimulo leniſſimo pollent, mitiſſima, et maxime refrigerantia, ad violentiam pyrexiae totius corporis imminuendam plurimum certe conferunt; quae violentia in hoc, aeque ac in omnibus aliis morbis inflammatoriis, per alvum adſtrictam multum exaſperatur. Quod humoris detrahendi genus omnium aliorum incommodiſſimum eſt. Itaque, ſi dolores ullo modo acutiores ſaeviunt, aegrotantis ad motum imbecillitas, et inde ſtimulus in corpore excitatus, adeo augentur, ut morbus ex una

una parte magis exaggeretur, quam ex altera ſublevetur.

Clysteres mollientes, urgente neceſſitate, in uſum opportunius advocati, apprime laudantur; qui ſimul alvum laxantium virtutem omnem poſſident, et incommodo ſupra expoſito carent.

Victus in hoc morbo, ut in aliis omnibus inflammatoriis, ex tenui et refrigerante materia conſtare debet; et ab omni carnis genere ex toto abſtinendum eſt. Talis victus a Sydenhamo, tanquam per ſe remedium, egregie laudatur; qui fortaſſe ſatis ſpecioſus videtur, quoniam hic morbus ex eis inflammatoriis unus habetur, in quo victum tenuem minore cum periculo, liberius adhibere licet; ſed temporis diuturni mora, ſi effectum optatum quam primum conſequi velimus, in morbo tam acuto, talem victum minus utilem quam in ſimilibus pyrexiis reddit.

Dilutio largior convenit, quae per ea commodiſſime efficitur, quae ſimul pro diluentibus agunt, et ſecretiones omnes promovent, ſimul refrigerantium uſum praeſtant. Quale, ſerum lactis, hoc idem acidulatum, decocta ex nitroſis, aliiſque refrigerantibus.

II. Secundum medendi conſilium, ad affectionem ſpaſmodicam ſolvendam, per ſudorem moventia, veſicatoria, et rubefacientia, perficitur.

Postquam febris vis, per rationes ſupra dictas, quodammodo remolleſcit, in hoc morbo, ad ſanationem perficiendam, fiducia maxima in ſudorem moventibus ponitur. Quia vero ſudores locales, qui initio morbi ſaepius ſua ſponte efferuntur, raro emolumenti conſpicui quicquam adferunt; ideo medici minus de ſudore arte movendo hactenus cogitarunt. Neque dubium eſt, quin ſic motus interdum

terdum etiam obfuerit. Contra, ubi recte adminiſtratur, eundem, ad ſalutem reducendam, et morbum penitus depellendum, efficaciſſimum eſſe conſtat. Cum autem ſudor vix moveri quin augeatur cordis actio queat, ob eam cauſam, et exſpectandum eſt, dum febris vehementia decreſcat; et tum quoque ea quae ſudorem, quam minime percitato ſanguine, cieant exquirenda videntur, et ſtimulantiſſimum quodque vitandum. Ergo, poſtquam febris violentia, venaeſectionis ope, ſublevata eſt, reliquis ſymptomatis, et praecipue doloribus, etiamnum permanentibus, ſudor ad ſanitatem integram reducendam omnibus aliis rebus anteponendus eſt.

De ratione autem movendi, aut medicamentis per quae movendus ſudor ſit, dixiſſe ero contentus, ea quae corpus, ut modo dictum eſt, quam minime irritant, et ſudorem quam diutiſſime ſervant, potiſſimum eſſe quaerenda. Quod ad temporis

poris quo ſudandum eſt rationem attinet; fruſtra omnis ſudor eſt, qui non triginta aut quadraginta horas ſervatur. Quod ad medicamentorum delectum, pulvis Doverianus ſudorem proſperrime fundit. De adminiſtratione, e qua tantopere eventus pendet, haec quaeſo accipias.

Licet ſudorem horis nocturnis movere pleriſque placuerit, eundem tamen interdiu movere praeſtat. Primum enim, ſi ſomni quaeratur tempus, id eo minus convenit, quo magis per ſomnum imminuta cordis actione ſecretiones omnes, et inter has perſpiratio, parcius peraguntur. Praeterea, tempore nocturno, inquieti aegrotantes, et levamen mutato corporis poſitu uſque quaerentes, ſtragulam veſtem abjicere, et corpora denudare, percilitantur. Cumque eodem tempore nutrices iis minus invigilant, ipſae ſomno opprimi periclitantes; non ſolum ſudor ſiſtetur, ſed et, frigore ad corpus adſpirante, morbus ſane augebitur. Item, quia

is pulvis, aeque ac alia ſudorem cientia, emeticam vim poſſidet, ideo aliquamdiu, poſt datum eum, omni potione abſtineatur; aliter enim haud retinebitur ventriculo medicamentum. Poſt autem circiter horae ſpatii moram, liberrime calida potare nihil vetat; niſi quod modus aliquis ideo adhibendus eſt, ne ventriculus diſtendatur, corpus irritetur, febriſque et reliqua ſymptomata exaſperentur. Sudans veſte lanea involvendus eſt; quoniam linea cito madeſcit, calorem cito amittit, et corpori uſque adhaerens frigus perfert, morbumque certa noxa intendit. Neque tamen ideo calor externus quaerendus eſt; quippe qui, ut ſupra dictum eſt, ad humores in vaſis conſtrictis rarefaciendos, morbum exaſperandum, et dolorem excitandum, pertineat. Idem nullo modo adhibendus eſt, niſi ubi ad extrema ſudor non pervenerit: In quibus, ad eum ſuſcitandum, lateres ante focum bene calefacti, aut fomenta calida, uſurpanda ſunt. Sic adminiſtratus ſudor,

tamdiu

tamdiu quamdiu ſupra monitum eſt, aut certe dum vires ferant, in acuto autem rheumatiſmo bene ferunt, continuari debebit. In univerſum, quamdiu ſudor uberrime, et toto corpore pariter, defluit, tamdiu tutiſſime ei inſiſtendum.

QUANQUAM autem ab horis triginta ad quadraginta ſudandum ſupra dixi, non etiam in tantum vigilandum eſt. Dormire inter ſudandum nihil vetat: Aut, ſi quid vetat, ut vigiliae, irritatio, aut, quod rarius in hoc morbo erit, imbecillitas quaedam; ita quaeratur ſomnus, ut remedii tenor quam minime interrumpatur. Ad ſomnum ſimul conciliandum, et ſudorem continuandum, nihil opio efficacius eſt, a triginta ad quadraginta aut quinquaginta guttas dato. Pulveris portio danda a ſcrupulo fere prope ad drachmam eſt.

SIC ad finem perducto ſudore, cum omnes excretiones auctae, omnes humorum detractiones, reſolutum et exhauſtum corpus

corpus frigoris offenſioni objiciant; proxima cura eſſe debet, ut ei malo quam diligentiſſime occurratur. Ad quod efficiendum, mundo et bene calefácto induſio homo induatur; omniſque aurae frigidae ad corpus adſpirantis inaequalitas devitetur. Diuque poſt, ne cui majori aut diuturniori ſe frigori convaleſcens committat, et praecipue ab effectu novi ſudoris caſu excitati eodem modo caveat.

Tractato feliciter ſudore, ſaepe tamen dolor obtuſus, gravidus, uni articulo affixus, moratur, una cum partis ad mobilitatem inertia, unde, ne longus fiat, periculum eſt Si igitur hoc fit, jamque per medicamenta ſupra expoſita habitus inflammationis toti corpori inhaerens, et vaſorum tenſio ſublata eſt, veſicatoria parti alicui adhuc dolenti impoſita multum prodeſſe ſolent; quippe quae ſpaſmo partem liberent, et, ſi quis toti

cor-

pori communior adhuc reſtat, eum quoque reſolvant.

Eodem prope conſilio, rubefacientia in uſum vulgo advocantur. Verum, cum eorum virtus, quaecunque ſit, per veſicatoria melius impetretur, eaque ipſa minus commode tractari fere queant, iis in hoc morbo abſtinendum, et veſicatoriis credendum, judico.

Medicamenta extrinſecus admota, praecipue ex repellentium genere, qualia acetum, aqua frigida, et caetera, a multis commendata, nullo ex uſu ſunt. Quod ſi quid valeant, id omne in dolore alicunde alio transferendo, nihilque ad ſalutem praeſtando, fere conſtat. Eadem, ſi dolores rheumatici ire intro percilitarentur, in quod nimis proni ſunt, ultro eos impellerent.

III. Tertio medendi conſilio, opiata ſola accommodantur.

Ea

Ea interdum, ut ad ſomnum conciliandum, ubi diuturnior ſudor vigiliam ſervat, neceſſaria ſunt: Et, quo tempore ſudari debeat, nihil nocent, et iiſdem vigente habitu phlogiſtico abſtinendum eſt; ſiquidem ſomnus, quem inducunt, gravioribus noxis penſatur. Neque prius eorum uſu periclitandum, quam ſoluta pyrexia, et habitu phlogiſtico, cum alia remedia fruſtra uſurpata ſint, ut ad ſomnum per dolores artuum depulſum inducendum, et vires reſtituendas, tandem adhibeantur.

F I N I S.